



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

In Omnes Totivs Anni Dominicas Æstiuas, à Festo Pentecostes vsque ad
Aduentum

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXIX

Dominica XXI. Post Pentecost.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56259)

natum illum iam video : *Et reliquit eum februs* ; & ipse illum relinquens, finem dicendi faciam.

Vnum hoc igitur restat, Auditores, vt ex audito Euangelio vtilitatem aliquam capiat: quæ non modica hic occurrit. Consideremus in primis, calamitates & tribulationes ad Deum nos deducere, quæ si non immitterentur, nunquam forsitan mundo egredieremur: videre enim vt Regulus hic filij in ualitudine anxius ad Christum accedat, eiusq; opem impleret.

Notemus deinde, quantum filiorum parentes habere rationem par sit, ad quam & hinc natura, illinc vero religio inuitat: illa quidem quantum ad corpus, hæc autem quantum ad animam; exemplo scilicet Reguli huius, qui de filij ualitudine maxime sollicitus erat. Ad hæc discamus, non esse uitæ emendationem & poenitentiam vsq; in mortis horam differendam, cum Princeps hic reprehendatur, quod serius uenerit, cum filius extremum iam spiritum traheret. Discamus præterea ob accepta à Deo beneficia gratitudinem exercere, cum pater hic accepta à Christo filij sanitate, Dei se obsequio perpetuo manciparit. Meminerimus denique, exempla dominorum ac superiorum ad subditos tum ad virtutem, tum ad vitium pertrahendos plurimum posse; cum exemplo reguli se conuertentis, omnis eius familia ad fidem conuersa sit.

Tu autem mundi Redemptor, summe corporum & animarum medice, qui hodierna die tam luculentum reddidit sanitatis miraculum medis, qui febres pellis, & filio Reguli Capharnaitæ pristinam ualitudinem restituis; animas nostras eisdem morbis affectas persana: torquentur quippe ab auaritia, à libidine cruciantur, ab acedia affliguntur, à superbia diuexantur, ab inuidia lacerantur, adeo, vt in mortis, nisi propere succurras, periculo versentur. Has igitur, cura medice cœlestis, ad iis succurrendum propere; sed ea conditione, vt, postquam eas sanaueris, ingratae non sint, sed in te cum uniuersa domo, id est, omnibus potentiis & facultatibus credant: intellectus te creatorem agnoscat, uoluntas vt Re-

demptorem diligit, memoria denique tui, vt conseruatoris semper recorderetur. Tui, inquam, à quo omnis nostra beatitudo dependet: ad quam deducere nos dignentur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

DOMINICA XXI. POST PENTECOST.

Partitio.

1. De misericordia & iustitia Dei.
2. Quæ causa parabolarum Christi, & quod regnum.
3. Quæ uis exempli, & quod ius Regis.
4. De ratione cum seruis posita.
5. De seruo debito: & debito.
6. De seruo nequam factio.
7. Benigne faciendum egentibus.

Simile est regnum cœlorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis.
Matth. 18.

FIGURA.

Vidisse in Apocalypsi se ait Joannes antiquum dierum, throno insidentem, præcanitic venerabilem, qui rationem ab uniuersis exigebat, & libros apertos ante se habebat: tanta porro è vultu illius maiestas elucebat, vt cœlum & terra in conspectu eius tremere, & rutilans maiestatis illius fulgor, qui è vultu promicabat, omnes perterrefaceret. Simile quid in Euangelio hodierno sub parabolæ cuiusdam inuolucris legere uideo: quod Regem nobis describit, qui dum rationem cum seruis suis poneret, & domesticos commentarios & diaria enucleatius examinaret, non mediocrem omnibus timorem incutit: cui cum offerretur, qui decem millia talentorum debebat, & soluendo non esset, illum & uxorem, & filios eius, & quidquid rerum possidebat, diuendi iussit, donec debitis satisfacisset. In quo & alia non minus horrenda occurrunt, quæ imago sunt eorum

rum quæ in iudicio post mortem instanti accidere solent. Quæ deductius exponam, modo Spiritus sanctus eloquentiam suggerat, & Deipara precibus illam obtinerè non renuat. Idcirco vnanimes salutationem Angelicam ei impertiamur, dicentes

AVE MARIA.

I. Docuere Philosophi, Astrologi, Mathematici, Geometrae, Cosmographi, & alij orbis dimensores, vniuersam mundi machinam duobus polis immobilibus sustineri, arctico & antarctico. Hos imitati docuere Theologi, diuinam essentiam, & omnem creatoris mundi diuinitatem, in duobus item polis volui, iustitia scilicet & misericordia. Primus hoc ante alios obseruauit David Propheta, dicens: *Omnes viae tuae misericordia & veritas*: quasi diceret: Aliam viam capere non posses Domine, quam vel misericordiae vel iustitiae.

Idem Vates diuina attributa recensens, & diuinæ essentiae arcana rimatus, eiusque encomia contexens, non nisi geminos hocce polos producit, dicens: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi*. Id est, possem Domine infinitam tuam decantare potentiam, admirabilem tuam scientiam, infallibilem tuam prouidentiam: possem & perfectiones tuas diuinas recensere, praedestinationem producere & reprobationem, scientiam extollere, praescientiam canere, & mirabilia tua celebrare, at nihil maiori dignius laude, nihil in te reperio diuinius, nihil quod maiorem promeretur laudem, quam iustitiam & misericordiam, & quemadmodum hæc duo diuinitatis tuæ poli sunt, ita etiam sunt canticum meum.

Et sane quidquid in cælo & in terra videre est, duabus hisce virtutibus æternus ille Monarcha dirigit & gubernat, hisce duabus disponit omnia, velut iudex, hos terret, velut clemens, illos consolatur. Et in huius rei signum vidit Ioannes in Apocalypsi Angelum fortem & validum iride coronatum, manu librum præferentem, qui posuit pedem suum dextrum super mare, sinistram autem super terram. Patrum omnium iudicio

Angelus hic Christi imaginem præfert, & duo illi pedes, iustitiæ & misericordiae, quibus super cælum & terram ambulat. Audite quid de illo Euangelista dicat: *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*: qui pedes sunt diuinæ Maiestatis.

Inter ceteras spongi dotes recenset amans illa, vbera, dicens: *Meliora sunt vbera tua vino*: & alibi, *duo vbera tua sicut duo hinnuli caræ gemelli qui pascuntur in lilis*. Aliud porro vbera hæc non denotant, quam præclaras illas virtutes misericordiam & iustitiam, quibus magnus ille nutritus vniuersum mundum nutrit & pascit, ita porro interpretatur Isaias, *Ad vbera portabimini*, & in proverbii Sapiens, *Vbera eius inebriente*: & in Psalmis David: *in misericordia vberi*, transpositione & metalepsi hebraica, quod alii dicerent, *in vbera misericordiae*.

In arca testamenti asseruabatur manna & gladius: illud symbolum erat misericordiae, alterum hieroglyphicum iustitiæ: quo Israelitæ atque adeo nos omnes edocemur, tam in cælo quam in terra, in arca Ecclesiae omnia manna misericordiae pasci & iustitiæ mucrone dirigi. Vnde & Vates regius: *Propter veritatem, & mansuetudinem & iustitiam*, quas esse mundi fulcra & bases existimat.

Mirabilis ille Cherubin, quem Ezechiel haud procul à flumine Chebar facie Leonina simul & humana insignitum vidit, Dei haud dubie imaginem præferbat, qui eodem in statu & esse perseverans, duos in mundi directione vultus præfert, hominis vnum, & leonis alterum: omnia quippe dirigit vt iudex æquissimus, & vt pater misericordiae: leonem scilicet se ostendit erga improbos, iustitiam exercendo; & hominem erga iustos, misericordiae viscera laxando: *Misericors & miserator, & iustus Dominus*.

Describit & alium Angelum Apocalyp. Ioannes non minus prodigiosum quam prior, cuius ore egrediebatur gladius anceps, sed manu plurimas præferbat stellas. Cum diligentius Angelum hunc intueor, eiusque descriptionis genuinam expositionem

Matt. ult.

Cant. 1.

Cant. 4.

Isai. 66.

Prou. 5.

Psal. 21.

Exod. 25.

Ezech. 1.

Deus ius-

tus & pa-

ter miseri-

cordiae.

Psal. 111.

Apo. 11.

nem indago, omnis me docet antiquitas, diuinitatis Angelum hunc imaginem gerere, quæ & gladium iustitiæ præfert ad peccatores perterrendos, & misericordiæ stellas qua iustis præmia assignat. Stella siquidem Clementiæ symbolum, & gladius iustitiæ.

Sceptum mysticum regum Egypti.

Huc trahemus Sceptum illud Regium Egyptiorum, quod in infima parte caput præferebat hippopotami, animalis ferocissimi, & in suprema, ciconiæ, quæ placida est & mansueta præ cæteris auibus, illic iustitia & rigor, hic vero bonitas & clementia denotatur. Designare autem volebant, quemadmodum Deus summus ille rerum arbiter iustitia & misericordia gubernat omnia, ita regem qui illius in terra imago est, duas hæc dotes præferre debere. Quin & nonnulli Galliæ nostræ reges huc respectu habito in symbolum vsurparunt, *Pietate & iustitia*: & sane sunt hæc virtutes duæ regnorum bases & rerum publicarum fulcra.

Mirabilis ille vir, qui Danieli Babylone apparuit: faciem instar fulguris habebat radiantem, & oculos lampadis in morem scintillantes, brachia vero & reliqua corporis membra instar aris candentia: *facies eius sicut facies fulguris, & oculi eius ut lampas ardens; & brachia eius & que deorsum sunt & que ad pedes quasi species aris candentis.* Sed albis indutus erat vestibus, & lineis, & renes auro obryzo accinctos habebat. Ecquod nam illud schema, habere scilicet faciem instar fulguris coruscantem, oculos ira & flamma ignientes, & ænea brachia, sed lineis indui? an non potior fuisset lorica, & tunica quædã ferrea, an non magis conuenisset quam linea? quomodo enim coincidunt cingulum aureum, & facies ignea? Sed mysteria hæc docebant, Deum cuius homo hic typus erat, quamuis in iustitia terribilis sit, & instar fulminis horribilis, dulcem tamẽ benignum ac patientem esse in multa misericordia, quarum qualitatum typus & imago sunt vestes illæ lineæ & zona aurea.

Duas Deus manus habet.

Thronus Salomonis regium illud opus, quo par nihil aut secundum vidit orbis,

duabus hinc manibus sustentabatur: *Duæ manus hinc atque inde tenentes sedile.* Designari mystice hic aio, æternum diuinitatis thronum à duabus etiam sustentari manibus, iustitia inquam & misericordia. De illa quidem locutum Iob auguror, dum conquerentem audio: *Miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini excigit me.* de hac vero Dauidem his verbis: *Aperis tu manum tuam, & imple omne animal benedictionibus,* & de utraque simul. *Opera manuum tuarum sunt cæli.*

Ferunt Physici, duplex Elephanto cor esse, vnum quod furore accensus exerit, alterum quod in clementiam propendet. Ita quoque cum Deo agi certum est, duplex enim quodammodo in vna eademque essentia, cor habet, id est, duo attributa in eadem diuinitate, vnum quod ad iracundiam illum extimulat, iustitiam inquam, alterum quod ad clementiam tendit, scilicet misericordiam. Quod scite expressit regius vates, *Misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur.* Cuius rei euidentis argumentum in hocce Euangelio legere est. Videbitis hic namque hominem regem, qui rationem cum seruis suis iniens incidit in vnum qui decem ei talentorum debebat millia, quem vna cum vxore, filijs, recula & suppellectili diuendi iussit. Sed seruus ad extremam calamitatem redactus, sui vt misereatur, mitiusque secum agat, orat, patientiam habeat, tempus quo negotia sua disponat concedat, omnia se exactissime tandem soluturum spondens. Precibus illius igitur commotus Rex, factus clementior, non tempus ei modo concessit, sed omne etiam debitum penitus remisit. Historiam Matthæus refert, vel potius parabolam: *Simile est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.* Hic primo de homine rege, & de rationum exactione loquar, ac deinde ad miscellum illum & ærumnosum seruum dilabar, eiusque feritatem etiam spectandam dabo.

Antequam vero vltius ad Parabolæ II. sensum & expositionem descendam, scire Cur Christi oportet, Christum pro more habuisse parabolis & similitudinibus vri, sicut bene bolis vltus Buse sit.

Reg. 10.

Iob. 19.

Psal. 144.

Psal. 101.

Elephas duplex cor habet.

Psal. 114.

Car. 1.

Psal. 1.

Eusebius notauit Emiffenus, in quo communem omnium Palæftinorum, quales ut plurimum ei adhærebant, eiusque sacrosanctas conciones aude audiebant, consuetudinem obseruauit. Potissima autem paraboliarum locutionum ratio erat, ut ipse hominum se stupori & ignorantia accommodaret, vulgarem patriæ & plebis consuetudinem ac loquendi ritum vsurpans, quo ita melius intelligeretur, ac nemo dererum propositarum sublimitate & obscuritate quasi minus benedicta intelligeret, conquerendi rationem haberet.

Quin & Deus ipse suum agendi morem perspectum habens exprobrando proponit benignam illam loquendi rationem, qua in dilectum sibi populum vsus fuerat, ne quam forsâ ille conquerendi occasionem haberet, si sublimi apud illos sermone vteretur: ait siquidem se nutritij instar eorum voluntati & desiderio in omnibus morem gessisse, *Ego, inquit, quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Atque ut Pater æternus benigni instar patris id erga ingratum hunc populum ostendit, magna illum benignitate demulcendo, ita filius non minus se erga nos clementem exhibuit, patrio nos idiomate docendo & alloquendo.

Hoc scilicet olim Ecclesiæ suæ, in sponsa Canticorum designatæ promissit, dicens, *Murâculas aureas faciemus tibi*, quæ verba LXX. translulere, *Similitudines aureas faciemus tibi.* Hic autem de murâculis, aninæ auribus, quibus verbum Dei percipitur, sermo est. Ceterum aureæ illæ similitudines, parabolas, & mysticas locutiones denotabant, quibus aliquando, dum in mundo inter mortales ager mortalis vteretur. Quænam vero similitudines haberi præclariore possunt, & magis deauratæ, quam comparationes & parabolæ, quibus Christus Ecclesiæ suæ aures ditat & exornat.

Solent adamantes, quo illustriores sint & maius decus acquirant, auro includi. Ait porro Psalmographus verbum Dei lapidem quandam pretiosum esse, *Desiderabilem super aurum & lapidem pretiosum multum*: quem ut Christus illustriorem maiorisque pretij redderet, instar peritissimi aurifabri, diuina

Tom. 2. Pars Æstina.

quodam industria auro includebat parabolico.

Si quis Regem, nudum manu gladium gestantem & vibrantem cerneret, an non eum iratum & succensum, & obuium cuique necem inferre velle crederet? Sed ne quis sibi metuat, & clementissimus Princeps audiatur, vagina inclusum ad latus gestare enslem solet. Christi veri illius regis regum, & dominantium Domini ensis, ipsum verbum Dei est, de quo Apostolus, *Assumite gladium Christi, quod est verbum Dei*, ne quis igitur vocem suam metuat, ab eo que fugiat, sed ad illum tanquam amicum fidelissimum & clementissimum accedat, gladium furoris sui in vagina recondit, id est, parabolicis similitudinibus locutus est. Audite igitur ut hodie dicat, *Simi- mi est regnum caelorum.*

Per hanc parabolam vniuersum Ecclesiæ statum designatum voluit: ipsa quippe magnam Iesu Christi regnum est, quod duas complectitur provincias, vnam quidem Beatorum omnium, in qua regni & regis Sedes, in qua omnes ei obsequuntur, nobiles eum supplices circumstant, beatissimos sese credentes, quibus diuinum hunc vultum contingit intueri, atque illa communi notione Ecclesia triumphans appellatur. Adque non immerito, quod qui illius compotes facti triumphant, velut parta victoria mille gaudijs & triumphis cumulatam vitam ducant, & victorij relatis iam olim iucundissime persuantur. Sunt scilicet illi festiuitates certæ & liquida, ab omni metu libera & ab omni æruna aliena.

Longe secus in hac miserabili, & ærumnosa vita agitur, in qua nulla solida & pura certaque iucunditas, sed quæ ingruenti semper infortunio casuque tragico inopinato permiscetur. Et sane nulla vnquam maior Iudæis læticia fuit, quam dum arcam recuperatam Ierosolymam de terra hostili referrent: sed casibus illa tragicis non caruit. Oza namque occulto Dei iudicio percussus & exanimatus gaudium interrupit. In solo cælo vera sunt gaudia, nulla tristitia aut metu permista, atque ideo cœlites qui iisdem persuantur, triumphantes appellati sunt, omni periculo exempti, metus expertes, & à formidine liberi.

Simile.

Ephes. 4.

III.

Ecclesiæ Christi Regnum.

Ecclesiæ

Mundus

solidas festiuitates non habet.

2. Reg. 6.

beri. Quod profecto de terra huius incolis dici nequit, cum adhuc in pralio versentur, cuius exitus dubius & anceps, adhuc confingentes de victoria incerti.

3. Reg. 10.

Hinc prudenter dixisse mihi visus est Achab rex hosti suo Regi Benadab, qui magno eum circumcirca exercitu, in quo triginta reges & amplius agmina ducebant, vallauerat, *no gloriatur accinctus aquo & discinctus.* varia enim & anceps belli est alea, & exitus incerti. At qui in celos iam recepti sunt arma deposuere, de conflictu non loquuntur amplius, sed victoria parta gaudent.

Ecclesia militans.

Altera regni huius prouincia, est Ecclesia inferior, quae militans dicitur, quae semper in armis, in conflictu assidua, militetq; suos ad pugnandum semper habet promptos & armis circumdatos. Hinc ad arma sumenda nos exstimulans Paulus, quemadmodum olim Achab rex Iosaphatum belli sui certiorum factum ad auxiliaria arma exhortatus est, atq; hoc euidenter ostendit Isaias Propheta, cum de Dei filio loquens ait. *Iste est, quem mittet pater aternus, in sagittam electam, & gladium acutum.* Notate mysterium, quamuis redemptoriam inde ab initio conceptionis, triumphator esset & caelestis illius prouinciae ciuis & rex, Pater tamen aternus ut militem, armatum gladio & sagittis, destinat. Verum inferior haec prouincia regnum caelorum dicitur, quod imago quaedam sit regni caelestis vel quod via sit, per quam ad alterum perueniatur, vel potius quod in eo regnum caelorum meritis acquiri possit. *Simile est, igitur regnum caelorum homini regi.*

3. Reg. 21.

Isai. 40.

Non nisi parabola haec est, sed duplex continet caput, vnum ostendit omnes nos peccatis obnoxios esse, & secundum peccatoribus esse ignoscendum, atque hoc vnum spectat Euangelium, ut commissas in nos iniurias ex animo remittamus. Quonia vero homines suis in rebus excuriunt, imo seipfos non agnoscunt, ideo sub fictarum personarum schemate illorum nauos Deus representare solet, & per parabolas illos erudire, in aliis ut ad oculum videant, quod in seipsis videre praementis caligine nequeunt.

Duo capita huius parabola.

Pramasius pictoris industria.

Dicitur Pramasius pictor ille celebris seruos conducticios crucibus affigere solitos, &

sumibus eorum membra diducere, & musculos loco mouere, vt visa in illis corporis distorti poena, Promethei rupi alligati supplicia & cruciatus ad viuum exprimeret. De aedæmonis refert Plutarchus, seruos illos suos & mancipia inebriare solitos vt eorum visa vultus deformitate & morum dissolutione filij ebrietatem detestarentur. Ita pater aternus vt iustitiam nos sua edoceat, & vt rationem reddendam pertimescamus sub alienae personae imagine ipsum in parabola hodierna demonstrauit.

Dauid qui ceteris in rebus erat solertissimus ac prudentissimus, in suis erat stupidissimus, domi suae talpa & in anima caecus, ideo malum suum deplorans ait. *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.* Nathan autem, quo illi oculos aperiret, & ad sui ipsius cognitionem induceret, parabolicis illum rationibus aggressus est, argumento sumpto ab homine opulento ouibus abundante, pauperculi ouiculam diripiente, quem Dauid velut iniquum & raptorem morti adiudicauit, Propheta porro a parabola ad veritatem descendens, tandem Dauidi post longas ambages & anfractus ostendit, illum hancce noxam psalmum non admisisse, in euentura persona representans, agnouit, quod in propria videre non poterat. Hinc bene Christus: *Simile est regnum caelorum homini regi.*

2. Reg. 12.

Apo. 19.

Hominis maior erga Deum obligatio quam Angelorum.

Homo hic rex, qui rationem cum seruis ponit, alius haud dubie non est, quam is ipse, cuius in femore Ioannes scriptum ait fuisse. *Rex Regum & Dominus dominantium.* Quor quot autem homines sumus, omnes regis huius clientes & seruisumus, imo magis ad illi seruiendum obligati quam ipsimet Angeli. Certum quidem est, Angelos iure creationis magni huius Dei seruos esse, at homines, duplici ratione, tum creationis tum vero redemptionis, ad diligenter ei obsequendum obligari.

Dens igitur rex est, cui ratio reddenda est, quique tandem aliquando iustitiam cum vniuerso mundo faciet. Et sane regis est iustitiam & aequitatem subditis administrare. Petebat olim mulier Macedonica a Rege Philippo ius sibi reddi, & causa suae aequitatis

P/a

Iustitiam sine corde cedi

P/a

tem cognosci; sed excusare cœpit ille, nec tempus sibi modo ob negotiorum urgentiū importunitatem ad causam examinandam suppetere, illa rege audito, subitane mox respondit. Cur igitur ut regem te habeam, qui iustitiæ vindicem te exhibere detrectas: quo acti responso inferre voluit, regis esse iustitiam administrare.

David Rex, qui è pedo pastoritio ad sceptrum peruenerat, quo imperij statum firmaret, Deum quotidie obsecrabat, se ut iustitiam edoceret, quo subditorum causis finiendis vacare ex omnium voto posset, nec sibi solum, sed & filio eandem postulauit:

Psal. 71.

Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Notandum porro hic est, non hominum, sed Dei iustitiam illum deposcere: hominum namque iustitia crudelitate semper & sanguine permista est, at diuina nunquam misericordia caret: homines delicta exigua morte damnât, Deus vero maiora demittit. David morti addicit, qui vicini ouiculam occidit, Deus vero illi condonat, quamuis homini innocuo vitam eripuisset. Homo hic rex seruo decem talentorum millium debitum remittit, atque immisericos ille conseruum suum comprehensum, quod centum ei deberet denarios, caeteri mancipat, ut patientiam habeat rogatur, sed audite detrectat, nedum debitum penitus remittere.

Iustitia
nunquam
sine miseri-
cordia pro-
cedit.

Simile est re, num calorum homini regi. Rex autem hic, qui seruos ad rationem reddendam cogit, & iustitiam administrat, homo dicitur, quod iudicis sit hominem se semper ostendere & humanum, & nunquam à regia dignitate humanitatem excludere. Iustitia enim sine misericordia, nõ æquitas sed mera crudelitas est, atque ideo Psaltes, postquam diligenter iudicium dignitatem exaltauerat, & deos, & altissimi filios appellauerat, homines etiam illos esse asseruit, & caeterorum instar mortales. *Ego dixi, Dei filii & si ij excelsi omnes; vos autem sicut homines moriemini.* Id est, diuinum quid vobis inest, & Deo quam proxime acceditis, cum vestrum sit, o iudices aliorum errata examinate, ensemque geratis quo in aliorum vitam ac mortem imperium obtinetis: sed sciatis velim, esse vos ad instar caeterorum mortales, & cum alios morti ad-

Psal. 81.

dicitis, cogitate, dudum ante vos à natura morti adiudicatos esse.

Socrati hoc adscribendum est, qui cum ab ingrata patria, & iudicibus morti addictus esset, & hoc ei amicorum aliquis nuntiasset, nullo doloris indicto edito, nec vultum ad mortem contrahens, aut animum abiiciens locans ait: *Et illos iam olim natura.* Quasi diceret, si cogitasset, se homines & mortales esse, tam iniquam forsitan in immerentem sententiam non protulissent. Equidem cum Philosopho hoc concludo iudicem & Præsidentem semper sibi proponere debere, hominem se esse, uti hic noster in Euangelio homini regi.

Socratis in
morte con-
stantia.

Qui voluit rationem ponere cum seruis suis.

IV.

Cuius rei rationem? omnium, tam bonorum quam malorum, & omnium quæ in hac vita commissa sunt. Testatur hoc Apostolus:

1. Cor. 5.

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Et Salomon: *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum fuerit, siue malum.*

Ecd. 12.

O rigorem intolabilem! o seueritatem singularem! An non sufficiat, de malis operibus rationem reddere, ut & bona examinari opus sit? Indignum credebar Job se nullo commisso delicto, à diuina iustitia exagitari: quamobrem lacrymans conqueritur: *Non Job 17. peccaui, & in amaritudine moratur oculus meus.* Quid? vix aliquod malum admisi, & ecce, qui tuus est rigor, bonum etiam, quod tentio quam sit exiguum, excutis, & merita mea examinas.

Nemo igitur dubitet, nam regius ille Jaded & rex æternus tandem aliquando nos examinabit, de quibus operibus, verbis & cogitationibus, imo de occultissimis quibusque erroris rationem deposcet. Vnde Apostolus: *Iudicabit Deus occulta hominum.* David autem hocce formidans examen aiebat: *Ab oculis meis munda me Domine.* Interea dum vitio, ne post mortem eorum examen differas.

Deus de o-
mnibus ra-
tionem ex-
poscet.

Rom. 2.

In hoc autem diuina iustitia ab humana differt, quod in tribunali hominum, non nisi nora, patientia obuiaque excutiantur sed in diuino, abstrusa, abdita, arcana & nemini præterquam Deo nota examinentur. Atque

2 Reg 11.

ideo Nathan, cui diuina maiestas Dauidicæ causæ examen delegauerat, quamprimum reo ait: *Tu fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis.* Id est, noli putare me in causæ tuæ examine similem esse mundi huius iudicibus, qui occulta non indicant aut condemnant, sed publica & cõmunia: nam ipse, quæ clanculo facta sunt promulgabo, & diulgabo quorum neminem conscium esse voluisti. Quin & ipse reus hoc agnosceit, & exclamat: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Id est, Ingens quidem crimen meum est, at tamen neminem subditorum meorum offendi: at te solum, quem facti conscium scio. Agnosceit itaque, homini huic esse rationem reddendam.

Regis huius prudentia, qui in persona propria à seruis rationem deposcit.

Esth. 6.

Quis voluit rationem ponere cum seruis suis. In quo singularis illius prudentia emicuit: non enim seruorum rationum examen aliis commisit, non delegauit regiæ pecuniæ præfectis, sinantiarum administratoribus non cõcedidit, rationum magistris non fidit, nec alios in causæ huius inquisitionem delegat, sed ipse eandem examinat, rationesq; coram audire vult. Ita olim Assuerus Persarum Rex annales regni afferri sibi mandauit, vt quidquid ante aliquot annos gestum esset coram videret & legeret. *Iussit sibi aff. rri historias & anna' es priorum temporum; qua cum illo præsende legerentur.* Solus siquidem Principis oculus in negotiorum examen quadrat, ceteri omnes suspecti sunt, & facum agunt. Si enim regibus vacaret, aliorum rationes audire & examinare, longe regna florentiora essent, negotia melius succederent, & prouinciæ longe mea sententia forent beatiotes. Rex igitur noster nemini fidens voluit rationem ponere cum seruis suis.

Rex hic cū seruis rationem deposcit, non vero cum dominis.

Quid? ecce potentissime & prudentissime rex rationem ponis cum seruis tuis: quin ab aliis, qui maioris sunt dignitatis incipis? quin principum vitam examinas? cur in actiones nobilium non inquiris? cur magistratibus actionem non intendis? cur iniquos iudices ad rationes non compellis? cur quæstores nimium quærentes non exagitas? inuenies haud dubie plurimos, qui plus quam decem talentorum debeant millia, hos tamen præ-

teris, quo à seruis rationem deposcas. Imitatur scilicet mundi huius Principes, qui magnorum insolentias tolerat, & a paruulis rationem deposcunt, in quo Saulem imitantur, qui animalia Amalechitarum iugulauit & regem ipsum impunem abire iussit, & Dauidem, qui Amalechitas latrocinis infames dimisit indemnes, quo latrunculos, qui Sicelleg. urbem succenderant, persequeretur, dicens: *Persequar latrunculos hos & comprehendam eos.*

1. Reg. 15.

Hinc Anacharsis Scythæ Philosophus iudices eludens, dicere solebat, leges & decreta araneorum telis esse similia, quæ vespas & fucos præteruolare permittunt, & muscas irretiunt, ita leges humanas indemnitate concedere sceleris & magnorum criminum reis, & latrunculos laqueo suspendere. De Principibus idem dicere liceat, qui sæpe latronibus & furibus maioribus parcunt, imo in regnis tolerant, & furunculos acerrime prosequuntur, & ad necem deposcunt. Talis erat hic rex, qui regni furibus prætermisiss, seruos domesticos ad rationes compellit.

Anacharsidis dictum.

Adhæc norandum Reges & Monarchias sub seruorum horum nomine comprehendit. Testis sit Dauid, qui quauis, duobus amplissimis regnis imperaret, seruum se tamen dicere non erubuit. *Ab a. i. nis parce seruo tuo item, Ego sum seruus tuus, & filius ancilla tua.* id est, Ecclesiæ vasallus, atque omnes in hoc schemate coram diuina maiestate rationem reddere oportet, & coram iustitiæ illius tribunali comparere. Vnde doctor Gentium Paulus: *Omnes nos manifestari oportet, ante tribunal Christi:* omnes, inquit, paruos simul & magnos, nobiles & plebeios, Principes & Monarchas. Atque hac ratione Rex omnes seruos suos vocat, & voluit ponere rationem cum illis.

Reges Dei serui licet absoluti sint Principes.

1. Cor. 5.

Æquum porro est, hanc rationem deposcere: neq; enim seruorum est, obedire duntaxat, sed enitantur etiam summaque industria allaborent, vt heis profint, & vilitatem adferant, tum in re domestica, tum vero in omnibus, quæ ipsis iniuncta sunt negotiis. Fuisse consuetudinem apud veteres refert Valerianus, vt quoties seruū in domum admitterent, nuces, ficus, da&tylos, aliaque pomos-

Serui heis suis sint viles.

Lib. 56. fol. 410.

porum & leguminum genera, & numeros aliquot in caput illius effunderent: quod ritu edocere volebat, illos heri rebus & commodis inuigilare debere, & cornu copiae instar familiam beare. Talis seruus fuit Jacob in domo Laban, & Joseph in palatio Putipharis, qui dominos suos locupletarunt, & rem domesticam stenue & gnauiter, magno cum fœnore administrarunt. Sed æquo diutius rationibus his inhæsimus, mutandi iam clypei, & aliud iter ingrediendum, examinā-
 dus scilicet est seruus, qui ei offerebatur ingenti debito grauatus, quod in altero membro nos facturos promiseramus.

V. Rex igitur in rationum examine procedens inuenit vnum, qui decem ei talentorum debebat millia. *Oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.* Mirum profecto, cum omnes regi illi debitores simus, non nisi de vno hic sermone esse. Sed Hebraismus est, quo singulare loco pluralis ponitur, quod in sacris litteris obuium est, & præsertim in Psalmo 13. *Dominus de caelo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est quisque ad vnum.* Adhibet hic Spiritus sanctus verbum *declinauerunt*, ut ostendat, quemadmodum, qui Grammaticen discunt, a casuum declinatione incipiunt, Nominatio, Genitio, Dativus, &c. ita in mundi huius Grammatica, quam diabolus magnus ille litterator docet, & composuit, peccatores discere à Dei gratia, variis peccatis, quæ merito casus appellari queant, (sunt enim peccata mortalia casus & lapsus animæ) declinare: & alios per nominatiuum, quales sunt superbi, qui se iactant, nomen quaerunt, & inanes bonorum titulos consecrantur: de quibus dici illud Psalmi queat: *Vocauerunt nomina sua in terris suis, id est, præ superbia, & arrogantia seipos iactarunt, & nomen sibi comparate conati sunt.*

Alij vero per Genitiuum declinant, qui vt filios & generationem diuitem reddant, iisque munia reip. & honores obtrahant, plurima, præter fas & æquum committunt: cumque filiorum utilitati, dignitati & emolu-

mento studere se iactant, ab animæ salute *Matth. 10.* nimium quantum declinant. Matrem Zebediadarum imitati, quæ honorum sitientissima, & filios ad summum dignitatum culmen euectos videre desiderans, a perfectione declinabat, iter cœlum versus desererebat, quam viam insisteret, nesciebat, & omnem Apostolorum cœrum perturbabat.

Per Dativum nonnulli declinant, qui munera iudicibus offerendo, iustitiam eiusque administratores corrumpunt, quo in causam suam propendeant, & secundum illos sententiam ferant: similes profecto scelesto illi Amano, qui, quo cruentam & sanguinariam aduersus Judæos, quos cane peius & angue oderat, obtineret sententiam, regio sigillatim communitam, decem talentorum millia arario regio se illaturum spondit: *Sitibi placet, decerne ut pereat, & decem millia talentorum appendam arario gaze tue.* Per eundem declinant casum, qui auro aliisque munusculis & cimeliis mulierum ac virginum pudorem expugnant & corrumpunt, Vagaboni Holofernis secretario & amorum Parario similes, qui quo pudicam Iudith illaquearet, ait: *Non vereatur bona puella introire ad domum meam, & honorificetur ante faciem eius, ut manducet cum eo, & bibat vinum in iucunditate.* Quin & Holofernes illius pudori insidiatus, in cubiculum in quo thesauri reconditi erant, eam deduxit, & quo ad illicitum concubitum eam pelliceret, diuitias ei suas ostendit: *Et tu in domo Nabuchodonosor magna eris, & nomen tuum nominabitur in vniuersa terra.*

Sunt & alij per Accusatiuum, qui declinant, proximum falsis calumniis oerantes, duobus illis veteratoribus Babylonis non absimiles, qui Susannæ honorem & pudicitiam infringere & offuscare conati, adulterij eamdem accusarunt, similes etiam atroci & sanguinaria illi Jezabeli, quæ innocuum Naboth iniquis calumniis impetens, & nomen eius netarie apud Regem deferens, vitam priuauit. Per hunc casum declinant etiam, qui linguæ suæ virulentia aliis detrahunt, nomen proximi arrodunt, eius honorem lædunt & violant, milleque iniuriis, calumniis, conuitiis profectant, in quo sce-

X. 3. stum:

Gen. 30.
39.

Insignis cō-
ceptus.

Psal. 48.

Justitiæ
corruptio-
res.

Esh. 3.

Iudith. 11.

Detractio-
res & male-
dici.

Dan. 13. 14.

1. Reg. 21.

1 Reg. 16.
stum & maledicium illum Semei referunt, qui Dauidem & lingua, & saxis impetuit dicens: *Egrede, egredere vir sanguinum & vir Belial, reddidit tibi Dominus uniuersum sanguinem domus Saul, quoniam inuassisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalom filij tui: & ecce prement te mala tua, quoniam vir sanguinum es, regum homicida & Principum sanguinis sitientissimus.*

Muli vitia
velut virtu-
tes fingunt.

Docet Desputatus etiã per Vocatiuum declinare, & horũ de numero sunt, qui cum grauissima committunt flagitia, virtutum nomine eadem conuestiunt: accediam namq; & otium recreationem dicunt, peccatum carnis, fragilitatem appellant; superbiam & arrogantiam, honoris propugnãdi studium, iram, bilem & murmuratiõnem Zeli pallio regunt; auaritiã & vsuram, sapientem solertiam, & prudentiam indigerant & vocant, in quo Hebræos imitantur, qui idola muta & cingua, vt deos habebant; similes etiam magno Judæorum concilio, quod magnum Sanedrin dicebant, quod cum Christum neci adiudicasset, quo nullum tamen grauius crimen admitti poterat, vel vniquam admisum est, actum quemdam iustitiã se facere credebat.

Deniq; nonnulli sunt, qui per Ablatiuum declinant, qui nimirum rapto viuentes proximi facultates auferunt, sexcentis excogitatis artibus & astibus aliena præter fas & æquum inuadunt; hi sunt magni illi latrones, qui respublicas expilant, & regna diripiendo vastant, rubicundo orphanorum & viduarum sanguine victitantes. Hos autem similes esse censeo Syro illi Heliodoro, qui tẽplum Jerosolymitanum, vbi viduarum opes afferuabantur, expilare ac diripere conatus est. Summus Pontifex enim à tam nefaria cõ expeditiõne deterrere satagens ostendit, deposita esse hæc, & virtualia viduarum & pupillarum. An non per Ablatiuum ille declinabat? vt & reliqui, qui non nisi e præda, latrociniis, furtis ac direptionibus viuunt. Et quoniam Grammaticale stadium ingressus sum, addo, nonnullis hanc Grammaticorum regulam commode aptari posse.

2. Mach. 3.
Est ablatiuus nonnullis solus in Suis.
Obiitæ spõre, diu, noctu, nutu, impete, iussu, &c.

Qui scilicet semper & nullo non loco auferunt, noctu videlicet & interdium, sponte vel violenter, vel etiam aliorum consilio aut iussione, ita vt & nati ad hoc videantur. Quam igitur noxiã hæc declinationes sunt! sed occasione verborum Prophetæ Dauid: *Omnes declinauerunt* è Theologico stadio in Grammaticorum palæstram descendimus. Sed eo vnde digressi sumus redeundum est, & seruus hic debitor accuratius examinandus.

Qui debebat ei decem millia talenta. Guilhelmus Budæus, cui pares Gallia nostra paucos protulit, hunc locum examinans, vt genuinam huius debiti summã colligeret, ait, talentum veterum sexcentis valuisse coronatis; adeo, vt hac numerandi ratione decem talentorum millia tantundem sint, ac sex auri vasa, vt vocant, vel sexcenta florenorum millia, quæ miser hic domino suo debebat. E quo duo licet colligere, primo principis huius bonitatem, quod tantam pecuniã vim homini, qui soluendo non erat, & qui nullũ habebat vadem, concedidit. Sed hæc Dei agendi ratio est, qui liberaliter omnia offert, non vero mundi, qui, cum nullam facere iacturam velit, nihil nisi pignore accepto, dat mutuo. Deinde, magnam serui huius dissolutionem & luxum, qui cum regio thesauro præfectus esset, tam prodigus fuit, vt magno etiam ære alieno grauatus fuerit. Et sane magna illius dilapidatio fuerit necesse est, cum debitor debita contraxerit.

Decem millia talenta. S. Hieronymus & Augustinus aiunt per sensum hunc, decem mille talentorũ debitorem peccatorem mortali peccato inquinatum intelligi debere, quod peccati genus, debiti nomine appellatur, quod peccatorum diuinã maiestatis debitorem constituat, eiq; deuinciat. Quare Theologi quærent quid admissio peccato mortali in anima remaneat; & respondit D. Thomas, 1. 2. q. 86. maculam quandam & turpitudinem eidem inharere, sed Scotus melius rem examinans, ait obligationem quamdam superesse, qua aeterno supplicio peccator obligatus manet; cui opinioni quam proxime accedit Prophetæ Regius dicens: *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* quo loco Cassiodorus ait, duo hic peccata.

peccatorum genera designari, vnum omissionis, alterum commissionis, illud negatiuum, hoc vero positiuum, vtraque autem David æternis supplicijs expiari debere credit.

Peccatum mortale infinitum est debitum. Et sane peccatum mortale debitum mille talentorum est, tanta inquam obligatio, vt suis eam viribus homo soluere non possit, neue thesaurum in mundo adeo amplum reperire quis queat, quo eidem satisfiat, nisi cœlitus gratia & liberalitas quædam affulgeat. Appellatur deinde debitum infinitum, quod infinitam nequitiam includat, tum quod gratiam, quæ infiniti pretij & valoris est, deltruat & euerrat. Peccator igitur seruo huic similis est, qui decem domino debet talentorum millia.

Quæ sit inter Deo & hominibus debita differentia. Hinc discere licet, quanto maiora grauioraque sint debita quæ debentur Deo, quam quæ hominibus, cum debitum regis decem talentorum millibus, conferui vero non nisi centum denarijs æstimeretur. Quamobrem David rex quamuis Vriam & Bethsabee & vniuersum regnum offenderet, nihili hoc faciebat; sed animo voluens quam grauius in Deum dereliquisset, lacrymas, *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci*, quasi dixisset, Tam graue Domine debitum est, quo tibi adstrictus sum, vt, nisi mei misereris, & ipsum imminuas, soluendo non sum miser ille seruus, qui tibi decem mille talenta debeam.

Psal. 50. Omnes porro homines debitis grauantur, Deumque creditorem habent, *omnes enim*, ait Apostolus, *peccauerunt, & egent gratia Dei*, & Iacobus, *Ei in multis offendimus omnes*. & omnes omnino homines Regis huius pedibus aduolui clamant & obsecrant; *Ei dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittis debita nostra*. Notandum autem hic est, dici debita in plurali: sunt enim peccata commissa in Deum & in proximum: notandum præterea, per decem hæc talentorum millia infinitam peccatorum multitudinem denotari. Aque hoc innuit olim rex Manasses orans, *Peccaui super numerum arena maris*. Id est, ex mente parabola, Quid agam Domine, debitis qui satis faciam? vnde soluendo sim? non enim tot in mari arena, quot in anima peccata.

Rom. 3. Iacob. 3.

Matth. 6. 2. Par. 28.

Huc animum, mentem & oculos aduerte peccator: huc cogitationes dirige. Dic mihi quid cogites, cum ille regis seruus sis? quomodo satisfacies, tot debitis grauat? quomodo somnum capies, quomodo quiesces, tantum humeris onus impositum, cum habeas? Octavius Augustus cum audiret, suppellectilem cuiusdam Equitis Romani venalem esse, qui infinitis dum viueret debitis grauatus fuerat, nullum tamen mastix aut contracti animi signum dederat, sed quiete & securus vixerat; culcitram illius sibi coemi iussit, dicens se qui negotijs ad imperij administrationem spectantibus obrutus, dormire & quietem capere non poterat, sperare, in lecto equitis huius, ære alieno grauari, securi tamen & molliter viuentis, quietem forsitan se inuenturum. Mirabatur Augustus, tantam equitis huius, ære alieno grauari securitatem, equidem miror peccatorem, qui tot peccatis & proinde debitis grauatus est, somnum capere, quiescere, secutum esse posse. Seruus sane hic, qui huius typus est, anxius est & sollicitus, cumque soluendo non esset, iussit illum dominus, simul & vxorem, & liberos in mancipia diuendi, & omnia illius venundari.

Erat scilicet moris apud veteres venundare homines, vxores item & liberos quo debitis satisfaceret. Cuius rei exemplum in libris Regum legere est, in quibus viduam, quam matritus contractis debitis onerauerat, dum videret apparitores domum ingredientem suppellectilem vt diuendant, & filios in seruitutem trahant. Eliseo supplicansem audio, *Ecce creditor venit, vt tollat filios meos ad seruendum sibi*. Rex igitur hic seruum, & suppellectilem illius diuendi iubet, quo loco Hieronymus iussit, pro permittit exposuit, permittit, scilicet iusto suo iudicio Deus peccatorem diuendi, id est seruum & mancipium scelestorum demoniorum fieri, vxore quoque eius, id est prauam concupiscentiam, & qua tam scelestæ & copiosa propago pullulauit, filios item, id est praua opera; omnia quoque quæ habebat, id est facultates omnes temporales.

Iussit eum Dominus venundari, & vxorem, & filios, & omnia. Demonstrat hic etiam Spiritus

Macrob. Sat. i. 177.

Mirum quæ peccator dormire queat.

4. Reg. 4.

Peccator seruandus.

ritus s. voluit, peccatorum, inortifero delicto admissio, tum quoad corpus, tum quoad animam Deo obligari, tum etiam quoad membra omnia & sensus debitorem constitui, at primaria debetrix ipsa est anima, in qua voluntas, non enim peccatum peccatum est, nisi in quantum voluntarium. Vnde vero ipsa est caro, filij, appetitus & sensus corporales, qui omnes animam corrumpunt, & ad peccandum extimulant, ac tandem eiusdem incrementum causantur. Debetrix autem hæc instar serui huius, qui cum soluendo non esset, venum datus est, diuenditur.

Est hæc sacra scriptura loquendi ratio. Vendere enim aliquem tantundem est, *deserere*, reicere, & concupiscentijs & desiderijs prauis tradere. Vnde Apostolus in peccatoris imagine de se loquitur. *Ego carnalis venum datus sub peccato.* Et in historia Machabæorum de quibusdam impijs & scelestis scriptum est, *Recesserunt à testamento sancto, & venundati sunt, vt facerent malum.* Et apud Prophetam, *Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.* Quod autem Prophetæ prædixere metaphorice, parabola hodierna ad oculum denorat.

Iussit enim Dominus venundari, seruum venundari tolerari queat, vt ita debitis, & creditori satisfaciat. At quare vxorem, & filios? quid commiserunt vt subhastentur? æquum est consonum, ratio exigit, quia delicti fuerunt participes. annon saepe fieri videmus, quod vxor, dum superbe vestiri, & luxum sectari vult, maritum debita cogat contrahere, & tandem foro cedere? An non etiam filij sæpè numero in causa sunt, vt, quo ad dignitates & honorum fastigia perueniant, & magni inter suos nominis sint, & ad opimum matrimonium pertingant, parentes a re alieno grauent, familia pessumeat, ac penitus destruat?

Ordinis Cisterciensis monumenta tragicum de quodam mercatore casum referunt: hic cum in extremis esset, & Tabelliones ad testamenti tabulas consignandas conuocasset, inter cetera legata hoc etiam apponi iussit, *Corpus meum terra detur ex qua sumptum fuit: anima vero demonibus tradatur, quia co-*

rum est. Quibus auditis cum omnes non mediocriter consternati essent, ac dicebant, quid ais? phrenesi laboras? sensibus non constas? sed cum tertio illud ipsum reperisset, & constare sibi sensibus dixisset, mox fremebundus & indignans subiunxit, *Anima mea demonibus detur, insuper anima vxoris meae, & anima filiorum meorum, & anima confessoris mei.* Mea quidem, quia multa præter fas & æquum comparauit, vxoris, quod me ad ipsum extimularit, & quo vanitates confectaretur, ad lucra iniqua coegerit, filiorum autem, quod quo illos locupletarem, alios bonis exuerim & defraudarim, confessorij denique mei, quod toties tam facile abfoluerit. Quibus dictis impiam animam efflauit. Nemo igitur miretur, si homo hic rex seruum, vxorem, filios, & omnia illius venundari iubeat.

Dum autem venum datum seruum & omnia illius subhastata auditis, cogitare potestis, quantum homini adferre detrimentum peccatum soleat. Meretur siquidem, vt penitus desoletur, nihilque in eo integrum & sanum perseueret. In Ægypto siquidem omnia ob admissa peccata destrui videmus & eueri, animalia pereunt in paluis, in aqua pisces, in agris segetes, primogeniti in domibus, & parentes naufragium patiuntur in mari rubro. Opum amissio, hominum castigatio, & miseria in domo ac familia miseri huius serui. Verum quid factum est? quid agit? quem rebus suis modum præscribit?

Cum igitur miser hic herum indignantem & irritatum videret, inque ruinam serui conspirasse, ad misericordiam & opem implorandam confugit: quam obrem vt à ram funesto herum proposito auerteret, pedibus illius supplex prouolutus est, & lachrymis suffusus habens oculos sui vt misereatur postulat, veniam commissorum flagitat, patientiam habeat, omnia se tandem persoluram, nihil vt amissum sit, spondet. *Patientiam habet mecum, tempus concede, noli ita me premere, spero enim cum tempore omnia me redditurum, nullam penitus iacturam patieris, licetores inhihe, compescet hos hominum nundinatores, subhastationem aufer,*

Rom. 7.

1. Mach. 1.

Isai. 50.

In hist. de vicis illust. ord. Cister.

Quid homini pariat peccatum.

Serui huius preces.

Omnino Deo dand.

aufer, foro non cedam, & omnia ad ultimum quadrantem reddam tibi.

Quomodo peccator Deo omnia reddat.

Quid ais miser peccator? unde tibi tot suppetent talenta, quib. debitum dissoluas? Bene profecto ait, Primo; si enim Deus nos amare coeperit, omnia etiam minima, etiam haustum frigidæ in satisfactionem, ac debiti imminutionem admittit. Secundo, quoniã cum omnia homini subdita sint, & homo seipsum Deo vicissim subiciat, omnia illi subicere eadem ratione videtur. Tertio quoniã vere poenitenti, vitæq; reformandæ incumbere volenti, quidquid demum agit, siue bibat, siue comedat, siue quiescat, omnia ad Dei gloriam, & æris alieni solutionem cedunt. Quin & seipsum castigans, gratum sui Deo offert sacrificiũ, ac velut holocaustum mactat, atq; hoc est domino illi omnia reddere. Quarto omnia se redditurum spondet, quia scit per poenitentiam, mortem & sanguinem Iesu Christi operibus suis applicari, quæ cum infiniti pretii sint, omnia haud dubie mundi talenta præcellunt, quapropter non immerito, quasi iam de re certus ait, *Omnia reddam tibi.*

VI. Mystica obseruationes quoad serui huius postulata.

Egregia quedam in his serui postulatis notanda veniunt, promittit primo se redditurum omnia, quo edocemur, in peccatorum exomologesi, fida & sincera delictorum patefactione confessioneque, omnia quæ animam & conscientiam grauunt, reddenda esse, omnia sincere aperiendo nullum vt data opera recitatur, vel nequiter silentio inuoluatur: nam vt Deus dum remittit, remittit omnia, nullam delicti poenam sibi reseruans, ita peccator seipsum excusans, accuset & patefaciat generaliter omnia, nullum vt subtrahat. Dauid rex delictorum dum veniam postulare omnium postulat, & confessionem generalem instituit, dicens, *Et omnes iniquitates meas dele.* Id est, scio te nunquam mediam peccatorum partem remittere, sed indulgentiam tuam plenariam & vniuersalem esse, condonationem tuam generalem nulla crimina reseruantem, quamobrem te rogo, omnia mihi vt ignoscas, vt & omnia tibi confiteor. *Omnia reddam tibi.* Secundo aperte profiteatur, Deo se omnia velle reddere: hic iterum docemur, Deo, si illius pacem & a-

Omnia Deo reddenda sunt.

Tom. 2. Pars Æstiu.

morem, illius gratiam adipisci velis, omnia, id est interiora & exteriora, corpus & animam, omnesque facultates esse reddendas. Magos Strabo refert sacrificantes, aliud nihil offerre diis consueuisse quam victimarum corda & capita, atque his oblati illos contentos aiebant, reliqua hominibus credendo. Sed erroneum hoc est, at Mosaicæ legis Sacerdotes longe aliam & laudabiliorem consuetudinem sacrificandi habebant, cum Deo offerrent omnia nihil sibi reseruantes, quinimo sæpe holocausto cuncta absumebant. Quin & Dauid seipsum Deo in sacrificium offerens, totum offert & dedicat dicens, *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Quo loco caro pro corpore integro, & eor pro anima accipiendum. Atque hanc professionem Christianus Deo emittere debet, dicens, *Omnia reddam tibi.* Miser hic seruus, qui causæ suæ diffidebat, hæc cum domino dixisset, ita illius animam inflexit, vt non modo postulatis anauerit, sed omnes alienum penitus, chirographũ rescindens dimiserit. O bonitatem infinitam! o clementiam incredibilem, beatum seruum, huiusmodi qui herum nactus sit, beatum inquam hanc si gratiam agnosceret. Verum quid agit iam in gratiam dimissus? Ecce qui tam benignum & mitem Dominum expertus erat inhumanum se & imitem erga conseruum ostendit; qui tantam domini clementiam bonitatemque expertus erat, crudeliter in aliis demonstrat: cui decem talentorum millia dimissa erant, centum denarios quamprimum sibi persolui petit. O barbariem inauditam! o ingratitude merito castigandã! Hic igitur seruus cum hero valediceret, incidit casu in vnum conseruorum, qui centum ei debebat denarios, quos violenter & importune sibi solum postulat, imo apprehenso fauces propemodum elidit & suffocat. Miser ille supplex pedibus illius aduoluit, lacrymatur, supplicat, & vt patientiam habeat obsecratur. At effrenis ille tortor ferro & adamante durior, & pernicax, nullis flectitur precibus, sed in carcerem illum detrudit, donec æs alienum dissoluat. Hic ceteri serui indignari, & tantam feritatem Regi significare: qui ita-

Magorum mores in sacrificiis.

Psal. 83.

Y y

tus,

gus, cum ad se vocari iussit & tantam barbariam detestatus, & quam vehementissime succensus ait, serue nequam, an non ego tui miserus sum, quoniam postulabas: cur non eandem conferuo tuo misericordiam exhibuisti, qui tantopere tibi supplicauit? Equidem tam me tibi benignum exhibui, & tu scelestè, perfide, ferox, immitis tantam crudelitatem ostendis?

Cur seruus hic nequā dicatur.

Matth. 5.

Serue nequam, nonne ego tui miserus sum? Hic latent mysteria, miracula, dubia, quaestiones? Cur scilicet seruus hic nequam appellatur, cum quod suum est exigit, & debita sibi cupit persolui? neque enim nequam ille dicendus est, qui ius suum propugnat & quæ sibi iure meritoque debentur exigit. Nequam tamen est, & hoc nomine appellandus, quod mortaliter deliquerit conferuum suum suffocans. Si enim graue delictum est, iniurias in fratrem effudisse, quantum Deus bone erit, tantam violentiam inferre? Offendit deinde, quod conferuum in carcerem auctoritate propria, sine vllò iudicis decreto, rapuerit, hoc quippe ad ministrum publicum spectat, non vero ad priuatum aliquem. Tertio mortaliter deliquit, quod qui soluendo non esset, ad solutionem coegerit, quamuis tamen soluendi voluntatem haberet: doct quippe caritas: inopi dare, quicquam vero illi auferre prohibet.

x. loan. 3.

Quarto graue crimen commisit, quod socij miserus non fuerit, scribit enim in Canonica sua Ioannes, *Qui viderit fratrem necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas est in eo?* Quinto peccauit etiam ob summam illam ingratitude, maximam enim ingratitude argumentum est, post tot tamque ampla à Domino qui amorem erga proximum summopere iubet ac deprecatur, recepta beneficia, ob exigui momenti fratrem tam isique & inhumaniter habere, & carceri mancipere, atque ideo supplicij à Domino traditur.

Est siquidem magnæ ingratitude nota post decem mille talentorum debiti remissionem, centum denarios fratri nolle remittere. O ingratitude, cælo, terræ, hominibus simul & Angelis ipsique etiam Deo exortata. Venit mihi porro hic in mentem insi-

gnium illorum verficulorum, in ingratos decantatorum:

Lex & natura, cælum, Deus, omnia iura, Damnant ingratiū, tristatur eum fore natum. Sola igitur ingratitude seruum hunc Domino exosum reddit, & dicere cogit, Serue nequam.

Vere igitur hoc nomine donatur, ostendit siquidem se crudelem, barbarum, & in locum inhumanum, cum tamen caritas, & vnus naturæ instinctus, contrarium inuenit, tantum vero abest, vt offensam & iniuriam remittat, vt etiam vindictam sumat, & debita violentè extorqueat. Impia illa & sanguinaria lezabel, Prophetarum exagitatricem canibus disceptauit, & equorum vulgulis prostrata, quod triste spectaculum cum Iehu rex conspiciat esset, seruis ait, *Sepelire eam quia filia regis est.* E qua historia efficere volo, quod quamuis inimicus noster sit improbus ac sceleratus, illi tamen beneficiendum sit, quia creationis iure summi & æterni regis est filius, & vnica hæc consideratio extimulare nos debet, vt illi gratos nos & bene uolos declarem.

Esau tamen si ferus & profanus esset, iniurias tamen quas sibi à Iacobo fratre illatas sciebat, vlcisci noluit, ne patrem seniore offenderet. Cumque vindictæ cupido aliquando faces vltrices subiceret, dicebat iâ cohibens ac refrenans, *Veniens dies lætus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Hoc igitur exemplo discite Christiane, Deum patrem tuum ad mœlitiā non compellere, aut negotium ei de iniurijs præteritis, vindictam, & vltionem sumendo, facessere.

Si vero nec omnia hæc sufficiant ad furorem illum compescendum, ardorem restinguendum, & iniurias remittendas, verba illa Ecclesiasticianimo volue, *Memento non inimicorum & desino inimicari.* Id est, vltimam vitæ horam tibi propone, quæ omnium rerum tuarum rationem coram Deo reddere oportebit, & vt tunc proprium tibi & benignum exoptabis Deum, ita modo te erga proximum, benignum, clementem & mansuetum præsta; remitte, tibi vt aliquo modo remittatur.

Promisit olim Zachariæ Deus mirabilia,

Philo in
Cantic.
Vibes refu-
gij in pote-
state Leui-
tarum.

In die illa, id est, in die Evangelica, eru te lo-
betes in domo Domini, id est, in Ecclesia, quasi
phiala coram altari. O promissa inaudita! cum
itaq; fore ait, vt lebetes ad cibos coquendos
destinati, aliquando in vasa cultui diuino
destinata conuenterentur, aliud nihil osten-
dit, quam animos illos carnes, in quibus i-
gne quodam concupiscentia & vindicta,
plurima ebulliebant vitia, inimicitia, & vi-
tiones, legis Euangelicae tempore ita con-
uertendos & immutandos, vt solum amorem
Dei & caritatem erga proximum, aliasque
virtutes Christianas spiraturi & exhalaturi
sint. Sed videre hic est veterem quandam fe-
berem, prauis affectibus, crudelitate, impa-
tientia sordidum, id est, hominē scelestum,
qui fratris sui miseretur, qui ad vltimum vs-
que quadrantem, sibi olui vult, & leana &
tigris inmanior est.

Serue nequam, nonne oportuit & te mi serui
conserui tui? Certe misericordia, qui indiget,
erga alios misericors vicissim sit oportet, &
qui peccatis grauat, erga peccantes beni-
gnum se exhibeat. Ideo factum putat Theo-
doretus, vt, dum Iudaeorum aliqui lapidi-
bus obrucendus foret, omnes vrbes ciues,
mortis illius testes & spectatores essent, &
singuli singulos proicerent lapides, vt, qui
eiusdem esset criminis reus, rei miseratione
tangeretur, & supplicium perhorresceret.
Ipse etiam Philo in Cantica commentatus
ait, Deum eodem artificio vsus, cum vrbes
refugij & asyla in Leuitarum potestate esse
voluit. Nam cum filij Leui, vt excidium
Sichemitarum testatur, homicidæ exstiter-
sent, sororis suae Dinæ raptum vindicasset, &
deinde vituli aurei adoratores per castra iu-
gulaissent; iniquum videbatur, eos aliis ho-
micidis, qui ad illos confugiebant, portas vr-
bis occludere. Et interea serus hic seruus
ere alieno grauatus, quique sui dominum
misereri petiit, conserui debitoris misereri
renuit.

VII.

Serue nequam, nonne oportuit & te misereri
conserui tui? Quoniam Deus bone seruo huic
nequam & iniquo hodie similes reperire est,
imo etiam crudeliores & inhumaniores, qui
misellos debitores exagitant quam crudeli-
ssime, licibus eos deuorando per apparito-

res diuexando, carceri mancipando, sexcen-
tas deniq; illis iniurias irrogando. Olim ita
praecipit Deus in Deuteronomio: *Ingressus Deut. 23.*
vineam proximi tui comedes vnus quantum tibi
placuerit. foras autem ne efferas tecum. O misfe-
rum! Olim in diuitum vineas pauperibus
ingredi fas erat, modo omnes iisdem exclu-
duntur, & mille intransibus suppliciorum
genera irrogantur.

Joseph fratribus Aegypto exeuntibus pra-
cepit, fratrem natiuum minimum Beniamin se-
cum vt duceant, alioquin eum non amplius
vsuris. *Alii qui non videbitis faciem meam, nisi*
fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum.
Allegorice denotatur, nefas esse coram Chri-
sto fratre nostro caelesti comparere, aut fa-
ciem diuinam contemplari, si fratrem no-
strum minimum, id est, pauperem nobiscum
non ducamus, id est, eodem habeamus mo-
do quo nos ipsos (pauperes enim sunt inter
omnia hominum genera minimi) quos si ne-
glexerimus, Deus a nobis vultum auertit; at
si respexerimus, amplissimam nobis merce-
dem pollicetur. Videte enim vt seruum hunc
corripit & coarguat, quod in fratrem inhu-
manus & immitis exstiteret.

Serue nequam, nonne oportuit & te misereri?
Quid? tot a me sceleste fauores & beneuolē-
tiae signa recepisti, namque benigne habitus
es, tantam tamen crudelitatem feritatemque
erga debitorem tuum, qui pauculos debet
numulos, tamq; promptam soluendi volun-
tatem habet, ostendisti? vbi tua humanitas
est homo? tua vbi caritas Christianae? vbi tua
humilitas est serue? Nulla profecto maior
crudelitas & barbaries, quam ipsa hominis,
vnde proverbium emanauit: *Homo homini*
lupus. Nulla etiam maior inimicitia quam
inter homines, adeo, vt & ipse Christus dia-
boli nequitiam & peruersitatem exprimere
cupiens, quae tamen patrem non habet, per
hominis illam nequitiam expresserit, legi-
mus siquidem in Euangelio: *Inimicus homo*
hoc fecit, de zizaniorum seminatore, quo lo-
co s. Hieronymus, atq; omnes adeo Patres,
& praesertim S. Thomas in Catena, diabolum
designari credunt. Adeo, vt immitis & inimi-
sericors, diabolus humanus & homo diabo-
licus sit.

Nō est cru-
delitas ma-
ior homi-
nis crudeli-
tate.
Matt. 13.

Dan. 8.

Daniel postquam in lacum leonum Satraparum & Principum Babyloniorum inuidia coniectus esset, Nabuchodonosor Rex belluarum potius quam hominum benignitati confidens, igens ad introitum loci collocari iussit saxum, illudq; regio obsignari sigillone quid fieret contra Danielem, sciebat scilicet rex hominis irati feritatem leoninam ac belluinam transcendere, & magis esse metuendam cum sibi persuadeat, Danielem inter belluas quam inter homines securiorem fore, & illas maiorem quam hos, benignitatem demonstraturas.

Verum hoc esse, & hominis crudelitatem metuendam cuius esse docebit manus illa scribentis, quam vidit medias inter epulas Babyloniorum rex, quæ tantam illi formidinem incussit, itaq; perterritus, vt toto tremens corpore semianimis ceciderit, & viuës mortuus fuerit. Deus igitur ostendere cum vellet, quo insolentiam illius castigaturus esset modo, & quæ flagella exerciturus, manum hominis produxit, qui ad parietem hæc verba scriberet: *Mans, Thecel, Phares*, non monstrauit illi vngula tigridis, non vncos leonis, non aduncos aquilæ pedes, sed vnicam hominis manum, vt rigorem & seueritatem flagelli sui ostenderet. Designare iraque voluit, illius se punitionem in hominū manus consignasse, qui nimirum crudelitatem tam probe calent, nullus, vt pes vel vngula reperiri queat, quam non omni feritatis genere superent.

2. Reg. 34.

Propheta ad Dauidem missus, tria illi flagella proposuit, atq; optionē dedit, vt de tribus vnum seligeret, vel septennio duraturam famem, vel trimestre bellum, vel pestem tri-duanam. Pressum se vndiquaq; rex videns, nulla diuinæ iustitiæ effugiendæ spe affulgente, tandē re accuratius examinata dixit: *Coartor nimis, sed melius est mihi, quæ ducidam in manus Domini, quoniam multa sunt misericordie eius.* Mauult ecce in Domini manus incidere, quam in hominum, sibi persuadens nullū in mundo animal reperiri, quod cum homine, quoad crudelitatem, feritatem, & barbariem sit comparandū. Ideo toties magno cum affectu orat: *Eripe me Domine ab hominibus malo.* Huc me traxit serui huius feritas & inhumanitas, Dominum vero ad tam rigi-

Psalm. 139.

dam castigationem, vt in tortorū manus illum tradiderit, carceri manciparit, & debitum quod remiserat, ad vltimum vsque quadrantem repetierit. O iustam punitionem! ô flagella promerita! ô iustitiæ æquissimam! *Sic & Pater meus celestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris.*

Hoc Euangelij Epiphonema, & concionis hodiernæ finis, vestrum est, Auditores, eadem mente volere: considerate igitur in primis peccati grauitatē, cum ipsum decem talentorum sit millū debitum, & quot peccatorum rei sumus toties etiam decies mille talenta debemus. Attendite miserum peccatoris statum, cum creditor hic debitorem, vxorem & filios eius, & quidquid habet diuendi iubeat: sed eadem opera notate promptam Dei misericordiam in eos, qui eandem deposcunt; cum miser hic seruus quamprimum vt se genibus domini aduoluit, petens sui vt miseretur, veniā impetret, & omnis debiti remissionem. Simul etiam considerate, quam caritas in proximum Deo grata sit, quæ vero econtra exosa inhumanitas & ineluctantia, simul & ingratitude de gratiis & charismatibus receptis, cum rex hic tantopere in seruum insurgat, quod in conseruum ingratus & rigidus existitisset, & beneficium ab hero acceptum neglexisset, vt illum carceribus manciparit, & tortoribus tradiderit.

Signum est, Deus bone odio te prosequi illos, qui immisericores sunt, & viscera clementiæ exuerunt: signum est, inquam, te aduersari illis, qui inexorabiles sūt, nec plus visso paupere mouentur, quam dura silex aut Marpesia cautes. Hic scilicet ostendis iustitiam tuam simul & misericordiam, hæc debitum seruo remittendo, illam ingratitude & crudelitatem coarguendo. Tu noster Rex es, nos vero serui tui, quibus incumbit rationem exactam tandem aliquando reddere. Sumus, inquam, serui tui, similes huic ingrato, qui tibi decem debemus talentorum millia, tor supplicia, quæ tot peccatis promeruimus, tot poenitentias quas tot delicta exigunt. Habe igitur nobiscum patientiam, tempus ad agendam poenitentiam concede, iustitiam differ & omnia tandem reddemus tibi. Nostri itaq; miserere, remitte, in-

Notanda
in hoc Eu-
angelio.

Ex

re, indulge, hac scilicet cōditione, vt quem admodum tu nobis ignoscis, nos quoq; non ad exemplum scelesti huius serui, proximo ignoscamus. Atq; vnica hæc est, ad gratiam tuam in hoc mundo, & gloriam cœlestem in altero promerendam, ratio, cuius nos confortes reddant Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

DOMINICA XXII. POST PENTECOST.

Partitio.

1. Quod sit naturalis appetitus veri in hominibus.
2. Quantum sit metuendum periculi à lingua.
3. De interrogantium Dominum adulatione.
4. De eorundem hypocritis tentatrice.
5. De Denario oblato.
6. De imagine Denarij.

Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22.

FIGURA.

Exod. 28.

Inter cætera summi Iudæorum Pontificis Ornamenta, lamina erat aurea, quam in fronte gerebat, quæ sacratissimum Dei nomen inscriptum continebat; atq; hæc vittæ hyacinthinæ alligata erat. Cæterum hoc præcepto ostendebatur summum Sacerdotem ab ima calce, vsque ad summum capitis verticem ad Deum spectare, mundum vero nihil in ipso possidere debere; Solius siquidem Dei totus erat, cuius symbolum & insignia præfert. Vt mystice hoc exponam, crediderim hic designatum, Deum hominem condidisse, vel vt Sacerdotem, vel, vt creaturam ratione præditam, qui non iam amplius sanctum eius nomen, sed vniuersam illius essentia imaginem animæ fronte præferret. Vt hinc disceremus, totum hominē ad Deum spectare, cum in naturæ lamina illius typum & insignia inculpta gesserit: atque ita animam, nomisma illud aureum, diuinitatis i-

magine insignitum, Deo necessario reddi debere. Hoc præsentī Euangelio continetur, cuius occasione præclaros vobis conceprus producam, si Spiritus Paraclitus mihi succurrere, & Deipara pro oratore intercedere non dedignentur. Idcirco Angelicam illi salutationem offeramus, cum Angelo dicentes.

Ave MARIA.

Ea fuit omnium semper Philosophorum opinio, vt crediderint ipsum intelligere & cognoscere, essentialē hominis proprietatem esse, ob quam scilicet creatus esset, & qua; naturæ instinctum sequendo, delectaretur. Videbant enim omnia animalia proprietatem quandam naturalem continere, & in eiusdem operatione maxime delectari: quod tum in Politicis Aristoteles, tum ipsa nos docet experientia. Cernere enim est aues volatu, bestias cursu; bruta feritate, hominem rerum intelligentia delectari. Huc referemus præclaram illam Quintiliani sententiam. Sicut aues, inquit, ad volandum, equi ad cursum, ad scuitiam fera gignuntur, ita nobis propria est mentis agitatio atque solertia, vbi origo animi cœlestis creditur. Et ante illum Commentator Auerrois lib. 2. de anima, ait, scientiam primam animæ perfectionem esse: cui suffragatur Magnus Augustinus in Enchiridio, & refertur 2. lib. sentent. dist. 1. dicens: *Fecit Deus rationalem creaturam, vt summum bonum intelligeret.* Ipse etiam Aristoteles ab hoc axioma, quod à proposito non vsque adeo alienum est Metaphysica sua incipit: *Omnes homines natura scire desiderant.*

Cæterum intellectus obiectum ipsa est Veritas obiecta, & ipsa scientia non nisi verarum reiectum in- rum est scientia, teste eodem, vbi supra Aristotele: *Sicut bonum est obiectum voluntatis, ita verum intelligentiæ.* Atq; hinc fit, vt omnis hominis perfectio, omnisque naturæ illius dignitas & eminentia in veritatis cognoscendæ desiderio consistat: cui argumento innixus Cicero ille Christianus, Lactantius aduersus gentiles dicebat: *Naturam hominis Deus veri adipsi scendi cupidissimam fecit.* Cuius Christiani.

Yy 3 rei